



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VII. An intellectus noster pro hoc statu pendeat ab operatione phantasiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

nima, cap. 3. & 51. Commentator text. 35. & 36. Avicenna, & Avempac. quos refert Commentator, ac, quod mirum est, idem tenuit Albert. Maginus 12. Metaph. tract. 2. capit. 15. & in libello de intellectu, & intelligibili, qui omnes diuersis procedebant vijs, quas S. Thomas supra, & 3. contr. gentes elegantissime impugnat. Eorum ergo plures hoc nitebantur fundamento, quod intellectus agens non potentia animæ nostræ sit, sed substantia quædam separata, quæ discursu temporis efficiat nescio quam visionem cum intellectu possibili, qua mediante intellectus posset assurgere in cognitionem substantiarum separatarum confirmantque ex Aristotele 9. Metaph. ca. 10. ubi disertè affirmat posse nos cognoscere substantias simplices, & separatas, ac intelligendus videtur de perfecta, & quidditatiua cognitione. Libro item 12. Metaph. cap. 7. & 9. loquens de Deo, de intellectu neque diuina disputans, talis ait inesse illi perpetuo contemplationem, qualis inest nobis exiguo tempore, & 12. Ethicorum, cap. 7. felicitatem nostram sitam esse in contemplatione diuinorum. Atenim fundamentum allatum tam falsum est, quam quod falsissimum, vt ex dicendis constabit in 8. capite. Atque positio ipsa manifesta militat contra experientiam, modumque naturalem intelligendi animæ, quem nunc excutemus, contra rationes etiam supra factas, ac deniq. cōtra ipsum Aristotelem: in locis autem citatis haud dubiè loquitur de cognitione illa, quam humano modo possumus assequi.

7. Quid deniq. circa illam dissidij inter Thomist. & Scotist.

8. Notatio vna pro eadem conclusionem.

Circa eandem etiam conclusionem Scoti, ac D. Thomæ sectatores disensionem quarunt, Scotus quippe, vt refert Anton. Andreas 2. Metaph. q. 3. vult substantias separatas posse à nobis quidditatiue cognosci, quod etiam habet Ioannes de Gandauo 3. de Anima, quaest. 37. Thomistæ vero contendunt hoc impossibile, vt videtur in Ciceron. 1. p. q. 12. a. 2. de ente, & essentia, capit. 1. q. 14. Capreol. in 1. d. 2. q. 2. Ferrar. 3. contra, c. 55. in lundano 2. Metaph. q. 3. Egidio 3. de Anima, text. 36. Quæ certè dissensio de nomine tantum est. Nam omnes admittunt haud posse nos propriam, & distinctam quidditatem Angelorum cognoscere, quod, velint, nolint, experientia docet: omnes etiam fatentur posse nos attingere quidditates Angelorum confusè, atque in vniuersali: de nomine ergo dissident, nam Scotistæ eiusmodi cognitionem licet confusam, quidditatiuam appellant, Thomistæ autem quidditatis, non quidditatiuam appellandam esse reclamant.

Franc. Suarez de Anima.

lectum videlicet nostrum, in quo cum superiori illo substantiarum ordine conuenimus. Vnde S. August. 8. de Ciuit. Dei, c. 5. & 6. docet ratione intellectus nostri demonstrari, esse substantias intellectuales: aguntque Commentator, Sanct. Thomas, & alij. Quintus modus ex perfectione vniuersi & sic plures alij possent excogitari. Vide S. Thom. supr. & 1. p. & quaest. de spirit. creaturis, & quaest. de Anima, a. 10. opusc. 70. supra Boetium de Trinit. q. 4. 2. Metaph. lect. 1. Potissima vero difficultas circa hoc reitabat, quia anima separata potest substantias spirituales aperte intelligere: ergo & coniuncta corpori, alias impediretur à nobilissima operatione per existentiam in corpore, proindeque illud informaret prater naturam suam: hæc tamen difficultas tangit modum cognoscendi animæ separata, quod proprium locum habet infra libr. 6.

Notandum secundo, licet alias substantias spirituales imperfecte cognoscamus, attamen animam nostram à nobis attingi quantum fas est humano intelligendi modo. Nam euidentissimè scimus animam esse, & quidditatem eius etiam vsque ad vltimam differentiam specificam proprietates denique, & passionis. Ratio est, quia actus animæ nostræ proprii, potissimi effectus illius sunt, nobisque notissimi: illi vero explicant nobis propriam suam causam virtutem, vt ex hactenus dictis constat: at de angelis nullum talem effectum cognoscimus, Quare, &c.

Notatio altera.

C A P V T VII.

Utrum intellectus noster pro hoc statu pendeat in operatione sua ab operatione phantasiae.

DE substantia actus intellectus nostri nihil dicendum superest, præter traditum in libr. 3. de compositione actuum, & artificio actuum intellectus sufficienter in dialectica dictum est: solum ergo restat dicendum de modo operandi, quem intellectus noster habet: eritque sermo de intellectu in statu animæ coniunctæ corpori: nam de modo intelligendi in statu altero, infra dicitur libr. 6. Est autem in præsentī quaestione certum intellectum dependere à sensibus in acquisitione specierum, vt supra ostensum est. Inuestigandum tamen superest, an post acquisitionem possit libere illis vti absque vlla dependentia à sensibus: Et quidem sensibus externis nihil operantibus, plana est responsio affirmans, vt experientia docet, & maxime in viris contemplatiuis, qui extasim patiuntur: Aristot. enim. Ethic. c. 8. docet viros diuinos & heroicis ita subditos esse contemplationi, vt nulla alia sensuum actio, seu affectio illis super sit tribuenda: an vero intellectus ab interno sensu, seu phantasia dependeat, videtur pars negatiua etiam vera. Primo, quia intellectus constitutus iam est in actu primo per species, vt ponimus, estque potentia perfectior ipsa phantasia: habensque ex se virtutem, & lumen sufficiens ad operandum, non est ergo cur à phantasia dependeat, vnde Aristot. 3. de Anim. text. 8. & libr. 2. c. 5. ait intellectum acquisita iam scientia posse operari cum vult, neque indigere extrinseco motu. Secundo intellectus sepe intelligit ea, quorum phantasia nullas habet similitudines veluti rerum communem spiritualium, &c. ergo in ea operatione saltem non pendet à phantasia. Tertio, quia alias impediretur saltem intellectus à sua operatione ligatis externis sensibus, tunc enim, & phantasia ligabitur, imò exterior ipse sensus ligari non posset, nisi ligata phantasia, quæ est quasi principium omnis exterioris sensationis. Consequens autem est contra dicta: ergo, &c.

Pro toto hoc c. videndus aug. hor. 1. 2. de Grat. c. 4.

Arg. 1. paria neg.

Arg. 2.

Tertium.

2
Pria au-
thoritas.

Hac in re Albertus libr. 3. de Anima, tract. 2. c. 19 opinatur intellectum acquisitis speciebus non habere dependentiam a sensibus, maxime in cognitione spiritualium. Idem credit Philoponius textu 30. & lib. 3. c. 4. Thienens. text. 39. consentiunt in 3. de Anima. Averroes, Avicenna, Simplicius, Themist. locis citat. cap. praeced. aiunt enim in communibus operationibus pendere intellectum a phantasia, in cognitione vero abstractissima Dei & Angelorum minime. Bonavent. quoque asseruit in altissima contemplatione posse intellectum omnino abstrahi a sensibus etiam interioribus, ac sine ulla prorsus imagine Deum contemplari. Alij dixerunt in cognitione saltem sui, ac suarum operum non pendere intellectum a phantasia. Vnde in text. 33. voluit, quoties intellectus per species elicatas a phantasmatis operatur, pendere quidem a phantasia, non item quando operatur per eas, quas ipse sibi formavit.

3
Communis
conclusio.

Communis tamen sententia oppositum docet, quod Aristoteles phrasi dici solet, intellectum nihil nisi conversione, non quidem sui, sed animae, seu phantasiae ad phantasmata intelligere. Ita S. Thom. 1. p. q. 84. a. 7. Caiet. ibid. Ferrar. 1. contra. c. 65. & lib. 2. c. 73. Scot. in 4. dist. 45. q. 2. Agidius 3. de Anima, text. 38. Sit ergo conclusio: Anima dum corpori vnitur, intrinsecam dependentiam habet a phantasia, quatenus videlicet per intellectum minime operatur, nisi actu etiam per phantasma aliquod operetur, quod Aristoteles 3. de Anima, text. 39. expressit, dicens: *Qui contemplatur, necesse est vna cum phantasmate contempletur*. Idem sentit Dionys. c. 7. de divinis nominib. & de celesti Hierarch. c. 10. *Impossibile*, inquit, *est nobis superlucere divini radii, nisi varietate sacrorum velaminum circumvoluamur*. Idem D. Aug. 4. sup. Genesim ad litteram c. 7. dum ait, quando numerum cognoscimus, aliud corporeum sensum, aliud rationem attingere: c. Nazianz. orat. 2. de Theologia. Experientia quoque ita docet, primo, quia laesa phantasia, laeditur & rationis usus, eademque impedita somno impeditur & intellectus: habet ergo manifestam dependentiam. Secundo: quando aliquid perfecte intelligere conamur, sensibilem imaginem illius intra nos formamus, quando alterum docere sensibilia exempla quaerimus quasi materiam phantasiae suppeditantes, a qua intellectus in dicendo pendet, quae perfectio experientiae a D. Thom. citat. a. 7. allata ostendunt conclusionem certam a posteriori: attamen ratio a priori difficile redditur. Idem S. Thom. hanc adducit, quod obiectum

Ratio a pri-
ori ex S. Thom.
Thoma, im-
pugnatur
ab Scoto.

intellectus nostri sit quidditas materialis rei: quae ab intellectu nostro cognosci nequit secundum modum, quem in singularibus habet absque sensus iuvamine, ideoque ad perfectam rei cognitionem postulari concomitantiam sensitiuae operationis. Quae ratio multis impugnatur ab Scoto in 1. d. 3. q. 3. neque satis mihi arri det: fundatur siquidem potissimum in eo, quod intellectus singularia directe non cognoscat, quod c. 3. improbatum est. Praeterea quamvis ea non ita cognoscat, attamen adducta ratione non potest haberi necessaria concomitantia inter operationem intellectus, & phantasiae: sed cum maxime valet ea ratio ad suadendum, egere intellectum iuvamine sensus ad perfectam cognitionem rei singularis, ac materialis ad suam vsque singularitatem: hinc autem quomodo potest intelligi aut colligi tanta dependentia, quanta est inter sensum, & intellectum? Quomodo item haberi ratio: quare laesa phantasia laeditur intellectus in suis operationibus vniuersim?

4
Neque qua
Scot. addu-
cit, placuit.

Quare Scot. rationes alias inuexit. Primum est in poenam peccati datam fuisse hanc dependentiam, falso tamen supponit ratio dictam dependentiam naturalem non esse, sed ex peccato descendere:

cum in ipso etiam innocentiae statu locum haberet. Secunda, eiusmodi dependentiam solum a se subordinatione potentiarum animae, ratione cuius naturalem connexionem habent talem, ut operante vna potentia circa aliquod obiectum operentur & alia, quae idem obiectum nata sunt attingere. Sed nec ratio haec videtur satisfacere. Primo, qui principij petitione quodammodo laborat: nam huius ordinis, & connexionis causam quaerimus. Secundo, quia hinc, ut plurimum haberi posset, intellectum operantem excitare phantasia, ut cum ipso simul offerretur, non tamen haberi, quod in sua ipsius operatione pendeat intellectus a phantasia, ut experimur: neque item ratio redditur cur laesio vnius redundet in alterum. Quapropter illa occurrit commodior, & euidetior ratio, quod dependentia, de qua tractamus, proveniat ex imperfectione status, in quo intellectus non recipit species, nisi cum actu phantasia operatur, & ambae potentiae in eadem anima radicanter, quibus proinde mutuo deseruiunt, atque etiam sunt impedimento. Vnde quando phantasia laeditur, & infanit, secum trahit intellectum, & animae attentionem, quae solum ratione laesa in intellectu, utpote incorruptibilem, redundare potuit: perfectio quoque imaginationis prodesse potest intellectui, quia quanto melius imaginaria apprehendit: eo meliores species imprimuntur intellectui: sed & intellectus ipse operando movet, ac secum trahit imaginationem. Hinc ergo oritur inter potentias has tam naturalis concomitantia: quae essentialis non est, sed ex actuali operatione proveniens, siquidem in anima separata, aut post corporum resurrectionem necessaria dependentia intellectus a phantasia nulla erit.

Ad primum argumentum in principio factum respondetur, intellectum in actu primo constitutum non indigere motore extrinseco ad operandum, propter coniunctionem tamen cum corpore, habere naturalem concomitantiam cum corporea potentia. Ad secundum, quando intellectus versatur circa spiritualia, imaginatio negotiatur, circa ea, ex quibus semper intelligit, aut quae formaliter representantur in phantasmate, aut quae ex illo modo aliquo deduci possunt. Ita S. Th. sup. Philo. q. 3. de anim. ad text. 21. notat divina intelligentibus concurrere imaginationem typos, & figuras opponentem: quod certe sonant verba Dionysij superius adducta. Ad tertium dic, si sensus externi simul & interni impediuntur a sua operatione, fore ut etiam impediatur intellectus, quemadmodum contingit in dormientibus, si tamen sensus externi ligentur non propter imaginatricis impedimentum, sed ob vehementem attentionem illius ad rem disparatam, tunc intellectum minime impeditum iri, sicque in ecstasi contingere.

Vergebis. Intellectus dormientis aptior est ad recipiendas impressiones specierum a substantiis separatis, ac reuelationes etiam diuinas, ut S. Th. tradit 2. cont. gent. c. 81. & sacra Scriptura confirmat, communiter docens reuelationes in somniis factas fuisse Prophetis, & tamen tunc ligata est phantasia: non ergo inter utramque potentiam semper intercedit concomitantia. Occurrendum, esse quidem in somno intellectum aptiorem ad recipiendas species a Deo: tum propter quietem maiorem, tum ne illa impressio specierum referatur ad ea, quae exterius sentiuntur, vel proprio discursui tribuatur, quod idem D. Tho. 2. 2. q. 173. a. 3. & de verit. q. 12. a. 3. ad 1. explicuit: esse tamen minus aptum ad ferendum iudicium de rebus reuelatis, quia inter dormiendum liberum vsu rationis de lege ordinaria non habemus, sicut idem doctor 1. part. q. 84. artic. 3. ad 2. notauit.

CAP.